

SENTENTIA DEFINITIVA COLLEGII**Prot. n. 52835/17 CA*****Dimissionis*****(Rev.dus X – Congregatio****pro Institutis vitae consecratae****et Societatibus vitae apostolicae)**

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

FRANCISCO PP. feliciter regnante, Pontificatus sui anno VIII, die 17 martii 2020, obtenta ab Eo dispensatione ut, omnibus paratis ad hanc sessionem celebrandam, pro hac vice Collegium constare posset quattuor tantum Membris (cf. litterae Exc.mi Substituti Secretariae Status diei 10 martii 2020, prot. n. 486.961), Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev.mis D.nis Dominico Card. Mamberti, *Praefecto*, Leonardo Card. Sandri, *Ponente*, atque Exc.mis et Rev.mis D.nis Philippo Iannone, O. Carm., et Francisco Daneels, O. Praem., atque intervenientibus Cl.ma Adv.ta A. Sammassimo, utpote Recurrentis Patrona, Cl.mo Adv.to A. Errera, tamquam Patronus Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, atque Rev.mo Ioanne Paulo Montini, tunc Promotore Iustitiae H.S.T., in causa, de qua supra, hanc definitivam tulit sententiam.

FACTI SPECIES

1. Gravi et improba attenta condicione in qua, variis ex causis plerumque versabatur Regio Y suae Religionis, seu Congregationis Z, per litteras diei 5 iunii 2015, Supremus Moderator Congregationis Z, suo rite audito consilio Commissionem ad investigandum et referendum constituit, praesertim quoad mores patrimonialesque status. Praefatae Commissioni adscripti fuere Vicarius Generalis, Generalis Assistens, Procurator Generalis, necnon illius Provinciae Visitor, in re economica peritus.

Paulo postea, die nempe 28 novembris 2015, tredecim Regionis Y Sodales epistulam ad Rev.mum Superiorem generalem miserunt, conquerentes gravioribus de in re oeconomica abusibus necnon potestatis ex parte conventiculae sodalium ex dicione v.d. W.

Quibus conquerentibus continue, id est die 7 decembris 2015, respondit Rev.mus Superior generalis, inter alia hanc quaestionem ponens rhetoricam: «certains parmi vous... [n]e cohabitent-ils pas avec leurs femmes...?», et paulo post, die scilicet 9 decembris 2015, informationes circa eosdem subscriptores a Visitatore provinciali necnon a duobus Visitoribus praecedentibus exquisivit.

Dein, die 21 ianuarii 2016, Rev.mus Superior generalis, Commissione et consilio auditis, eidem Commissioni iussit inquisitionem peragere peraccuratam circumcirca tredecim illos Religiosos conquerentes atque denuntiationum subscriptores.

Quae autem inquisitio sub diebus 21-24 februarii 2016 habuit locum, praecipuis sequentibus gressibus: interrogatione uniuscuiusque Patris subscriptoris; interrogatione septem personarum, utpote testium; conventu cum Visitatore eiusque consilio.

Commissio, relatione absque datatione confecta, haud tenuit Provinciam laborare abusibus potestatis ex parte cuiusdam factionis ex dicione v.d. W, sed potius de-

cem sodales (fere, ergo, omnes subscriptores) Provinciae missionem impedire, quorum mores sive sexuales sive circa patrimonialem gestionem grave scandalum producebant. Unde solutio nulla alia esse poterat — ita autumavit ipsa Commissio — nisi dimissio horum sodalium, quorum octo statim dimittendi erant inter quos Recurrens, nempe Rev.dus X, anno 1980 natus anno 2010 sacerdotio auctus, duobus ulterioribus peractis inquisitionibus.

In actis vero et alia exstat relatio, qua sodales dimittendi erant novem, omisso Rev.do Recurrente. Quae relatio die 29 februarii 2016 a Consilio generali approbatur. Cuiusdam pretii est excusatio de huiusmodi interventu sat sero: «los misioneros de la Provincia han tenido miedo de hablar sobre este grupo de cohermanos que es capaz de todo, incluso de venganzas familiares».

Apparet vero etiam ex quarto documento, v.d. *Memo-randum della Commissione d'Investigazione* praefatam Commissionem Rev.di Recurrentis dimissionem commendavisse. De facto Congregatio Z consilium in secundo et quarto documento datum suum fecit.

2. Investigatione de qua supra peracta atque invitatione ad sodalem dimittendum recepta, Rev.mus Superior generalis litteris die 9 maii 2016 datis Rev.do X accusationes patefecit: «vous avez tenu ou vous tenez des rapport sexuels avec une femme, V»; eidem Rev.do Viro explicite data est facultas sese defendendi.

Responsio die 6 iunii 2016 pervenit, at responsio fuit communis ab octo sodalibus subscripta inter quos et Rev.dus Recurrens invenitur. Quae responsio praenuntiavit responsiones singulas, at simul methodum investigationis denuntiavit et impropriam responsionem litteris diei 28 novembris 2015 datam.

Responsio singularis Rev.di X, die 12 maii 2016 signata, accusationem reiecit, contendens quod accusatoribus «revienne la charge d'apporter les éléments des preuves des faits irréfutables qu'ils m'accusent: en indiquant le lieu de commission de l'acte, les témoins, sa résidence et surtout les plaignants».

Decretum dimissionis die 6 iunii 2016 latum prae se fert sive mentionem voti collegialis sive dimissionis causam: «à cause du fait qu'il a vécu et vive encore en concubinage, au moins avec une femme, V (cf. CIC 1395)».

Quo decreto die 23 iulii 2016 confirmato atque die 29 septembris 2016 intimato, recursus ad Dicasterium IVC-SVA die 30 septembris 2016 porrectus est, a Rev.do X, contendens quod omissae fuissent monitiones, accusatores iidem essent ac accusati de quibus in litteris die 28 novembris 2015 datis, responsio diei 12 maii 2016 neglecta omnino fuisset.

Decreto die 27 ianuarii 2017 lato, Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae recursum reiecit et dimissionem confirmavit, argumentis a Rev.do X allatis respondens. Arguit Dicasterium absque ratione impugnari nexum inter litteras diei 28 novembris 2015 et dimissionem.

3. Recurrit inde Rev.dus X ad H.S.T. die 27 martii 2017. Processus autem moras passus est ob difficiles communicationes, haud obstante Nuntiaturae Apostolicae opportuno auxilio, cum Rev.do Recurrente.

Omnibus peragendis rite peractis, nunc huic dubio respondendum est:

«An constet de violatione legis in procedendo vel in decernendo relate ad decretum a Congregatione pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae die 27 ianuarii 2017 latum; et, quatenus affirmative, [an] refectio [statuenda sit] damnorum».

IN IURE ET IN FACTO

4. Praemittendum est speciatim hoc in casu requiri artem iudicandi, quae cum aequitate rationem habeat de tensione inter praescriptum legis, quod suapte natura est generale, et casum, qui, suapte natura, potissimum in praesentiarum, sese valde singularem praesefert.

5. Sodalis Societatis vitae apostolicae, qui sit clericus concubinarius, ab eadem Societate dimitti debet, ex canonica Legis certo dictamine: cann. 746 et 695, § 1. Eiusmodi dimissio proceduram contemplet breviorum: «Hisce in casibus, Superior maior, collectis probationibus circa facta et imputabilitatem, sodali dimittendo accusationem atque probationes significet, data eidem facultate sese defendendi. Acta omnia a Superiore maiore et a notario subscripta una cum responsionibus sodalis scripto redactis et ab ipso sodale subscriptis, supremo Moderatori transmittantur» (can. 695, § 2).

6. Uti apprime patet ex supra relato can. 695 praescripto, nulla requiritur monitio praevia ad huiusmodi proceduram dimissionis adhibendam, quae aliter se habet ac procedura a cann. 696 et seqq. praevia.

Discretioni, proinde, Superiorum conceditur iudicium de monitionibus, animadversionibus aliisque interventibus praeviis interponendis antequam ad proceduram dimissionis perveniatur de qua in can. 695: quae omnia legitimitatem dimissionis non attingunt.

7. Praescriptum can. 695, § 2 explicite cavet de probationibus sodali significandis. In primis attendendum est verbo «*significet*», quod idem non est ac «*publicet*» vel «*inspiciat*», de quibus in iudicio contentioso ordinario vel in modo procedendi in amotione parochorum. Illa vox verbum «*significare*» indicat «*notum facere*», «*cognoscere*

facere», quin tamen modus ullus perspicue praescribatur. Sed attendendum est rationi legis, nempe dandi facultatem sese defendendi (cf. can. 695, § 2: «data eidem facultate sese defendendi»). *Animadverso quod, singulis significatis accusationibus, probationum significatio de qua in can. 695 intellegenda est iuxta propriam uniusquisque accusationis naturam; concubinatus namque notorius esse potest (cf., exempli causa atque saltem ex analogia, can. 1093) ac proinde prae oculis in casu habendum est pernotum brocardum “manifesta seu notoria haud indigent probatione”*» (Decretum reiectionis in limine in una N. diei 21 nov. 2017, prot. n. 53062/17 CA). Quo fit ut probationes iam notae non sint necessarie denuo significandae (cf. ad rem, ex analogia, can. 1598, § 1).

In casu accusationis et probationum significatio quaerenda haud est tantum in litteris die 9 maii 2016 ad Rev.dum Recurrentem datis. Hoc desumi potest iam ex defensione quam habuit Rev.dus ille Vir apud H.S.T. Ille, enim, notitiam fert de pago ubi degeret concubina V; quam tamen notitiam haurire ipse nequivit a praedictis litteris, quae de re silent, sed ex interrogatorio, cui Rev. dus ille sese submiserat. Ipso adstante, praeterea, a teste praecipua, D.na R, tradita taeniola magnetophonica audita est coram consilio provinciali. Consequenter Rev. dus Recurrens praesumere poterat suos accusatores esse membra dicti consilii et de facto hoc contendit, ut apparet ex eius recursu ad Congregationem. Animadvertendum est illam taeniolam etiam auditam esse a Commissione investigationis. Sine dubio, denique, ipsi Rev.do Viro nota erat sua degentia extra communitatem in pago T, quae autem positive est quoddam elementum corroborans concubinatus accusationem et negative impedivit quominus se ab accusatione purgare posset per vitae communis in domu Z. observantiam.

Aliquatenus dein contracta probationum significatio non sine causa est in casu, et quidem rationabili ex causa, habita ratione adiunctorum. Quae condicio haud longe abest ab illa in can. 1598, § 1, ultimo commate. Pericula testibus imminencia, si adiuncta locorum attenduntur, in aprico erant, quia «los misioneros de la Provincia han tenido miedo de hablar sobre este grupo de cohermanos que es capaz de todo, incluso de venganzas familiares».

Rebus sic stantibus, probari non videtur in casu violatio praescripti de accusationibus et probationibus significandis.

8. Rev.dus X iterum iterumque denuntiat nexum iniquum inter accusatos, de quibus in litteris diei 28 novembris 2015 et accusatores de quibus in procedura dimissionis. Praeter responsiones a Congregatione pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae datas, sequentia adnotanda sunt: a) Commissio instructionem procedurae egit, non autem Visitatores Provinciae (actualis, A, et praecedens, B), dum compositio et auctoritas Commissionis tales erant ut opera Commissionis irrationabilem influxum Visitorum subire non posset; b) unus iudex (si hoc verbum sensu lato sumere licet) in procedura dimissionis est Superior generalis cum suo consilio, quippe qui decisionem fert sodalem dimittendi. Membra consilii provincialis et Commissionis ad inquirendum sua ex scientia attestations proferre minime prohibebantur. Sufficit ad rem videre relate ad testium incapacitatem, et quidem in processu iudiciali, praescriptum can. 1550, § 2, n. 1. Animadvertendum, ceterum, est non omnes tredecim subscriptores litterarum diei 28 novembris 2015 dimissos fuisse, sed decem dumtaxat; qua de re exceptio circa rationem dimissione alienam (litteras nempe denuntiationis) roboratur non solum sub aspectu obiectivo (non fuit nisi occasio procedurae dimissionis),

sed etiam subiectivo, siquidem, reapse, non omnes dimissi fuerunt.

9. Ad mentem Congregationis concubinatus in casu satis probatur. Reapse, attentis peculiaribus casus circumstantiis, moralis certitudo de re hauriri posse videtur ex actis causae, seu ex singulari testimonio scripto, una cum attestationibus, considerato quod falsitas ex parte illorum testium coram Domino deponentium haudquaquam verisimilis habenda est. Iuvat ad rem exemplum exhibere: «Chose étonnante, le Père X a une femme qui vit avec lui et qui habite à T sur l'avenue C, N° [...] Elle s'appelle V. Cette attitude scandalise le peuple de Dieu. Quand il arrive à T, le confrère ne reste pas à la communauté, plutôt il reste chez cette fille qui est devenue sa femme. D'ailleurs cette femme est reconnue officiellement par les deux familles». Certitudo moralis, utique, varios gradus admittit, sed satis est ut habeatur, ita ut per se altior eius gradus requirendus non sit (cf. Alloc. Pp. Pii XII ad Rotam Romanam diei 1 octobris 1942: AAS 34 [1942] 338-343; vide n. 5, 342).

Quaedam, utique, confusio habetur inter T II et III, sed, re bene considerata, prorsus irrationabilis esset ex hoc errore conclusio vadimonia concubinatum sustinentia propterea fuisse mendacia. In favorem Rev.di Recurrentis Cl.ma eius Patrona etiam magni facit litteras ab Exc.mo (nunc Em.mo) Archiepiscopo N datas, quibus laudes extolluntur Rev.di X. Experientia autem H.S.T. docet quam numerosae attestationes bonorum morum vel bonae indolis ad instantiam partis obtineri possint, quarum numerus dispar est earum germano ponderi. Addatur quod Rev. dus X sodalis est Societatis vitae apostolicae, non autem sacerdos dioecesanus et nescitur quo pacto Cl.mam Patronam Archiepiscopo maiorem scientiam tribuat quam eiusdem sodalis legitimis Superioribus.

10. Nava Rev.di Viri Patrona, munus suum exercens, plura adduxit argumenta, nullum tamen vere conclusivum ad illegitimitatem actus impugnati morali illa certitudine demonstrandam, quod est — praesumpta ex iure actus legitimitate — onus quod uni recurrenti incumbit.

11. Omnibus rite cribratis, infrascripti Patres, Christi Nomine invocato, pro Tribunali sedentes ac solum Deum prae oculis habentes, dubio proposito respondendum esse decreverunt atque respondent:

Non constat de violatione legis in procedendo vel in decernendo relate ad decretum a Congregatione pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae die 27 ianuarii 2017 latum.

Cautio pro expensis processualibus ab Instituto in arca H.S.T. deposita retineatur; Cl.mae Rev.di Recurrentis Patronae emolumentum solvendum ex praefata cautione sumatur; Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae suo Cl.mo Patrono congruum solvat emolumentum.

Hanc definitivam sententiam cum omnibus quorum interest communicandam et executioni mandandam decernimus, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 17 martii 2020.

(Signati)

Dominicus Card. Mamberti, *Praefectus*

Leonardus Card. Sandri, *Ponens*

+ Philippus Iannone, O. Carm.
+ Franciscus Daneels, O. Praem.

Et notificetur.
Die 20 maii 2020

+ Iosephus Sciacca
Secretarius

Marius Leite de Oliveira
vices Praepositi Cancellariae gerens